



Antus rei litterariæ, dum viveret, fautor fuit Vir inclytus, Dn. MELCHIOR CASPAR WINCKLERUS, Ullersdorffii & Sommeraviæ Toparcha, ut non modo post beatum ex hac vita discessum, nullibi memoriam sui conservare vellet libentius, quam nostro in Gymnasio, verum & ultimis testamenti sui tabulis expressè præciperet, in anniversaria hac Recordatione semper aliqua esse proferenda, quæ cum studiosæ Juventutis usu conjuncta, & ad ejus captum statumq; præsentem accommodata essent. Quæ sancta Dispositionis Wincklerianæ lex mihi, quem prima nunc vice ista perorandi tangit pietas, ansam dedit curatius lustrandi hodiernam scholasticæ Juventutis conditionem. Atq; in hac ipsa lustratione tria inveni Juvenum studiosorum genera, quos vel ideo hîc libet in tres quoq; redigere classes. In prima collocentur ii, qui finem volunt, media verò nolunt; h. e. qui non re, sed nomine tantum, sunt Studiosi, quosq; B. *Ahasveri Fritschii Scholaris peccans* p. 30. ita depingit: *Non pauci serviunt in annos suos, veluti tyranni, sic vivunt, ac si ad perdendum tempus conducti essent; eos frequentes videas in foro, in vicis, in plateis, in tabernis, in theatris, rari autem sunt in lectionibus, disputationibus, collegiis publicis atq; privatis: si visitabis eorum Musea, vix unum atq; alterum librum, sed clausum vel pulvere plenum, reperies, oculis autem tuis fistula tabaci, alea, charta lusoria, capacia vitra, instrumenta militaria & alia scholastico ordini minimè convenientia objiciuntur. O quanta sequetur olim pœnitentia, sed nimis sera!* Ad alteram classem referantur, qui quidem nec viribus nec voluntate discendi sunt destituti, ordinem autem & bonam methodum in eruditionis acquisitione ita negligunt, ut post prolixas ambages & infinitos errores demum intelligant, aliam sibi viam ingrediendam fuisse. Horum fata *Gabriel Naudæus in Syntagm. de studio liberali cap. VII.* ita describit: quem-

ad-